

De inscriptionibus quibusdam christianis.

Paulus Orsi in scriptis Romanis trimestribus quae AdeWaal et HFinke edunt 1896 X p. 1 ss. titulos christianos prope centum delineatos vel depictos proposuit quos modo detexerat Syracusis in catacumbis. sunt intra annos 383 et 452 facti tituli breves plerique et exiles, pronuntiationis et scripturae vitiis multis deformati. exempla eligo unum de gravissimis n. 84 ἐτελεύτησεν ἡ καλῆ(ς) μνήμη(ς) Περεγρίνα τῶν Βολιμαρίων τῇ πρὸ δ' εἰδῶν Νοβεμβρίων ὑπατία Ἐρκουλιανοῦ καὶ ἦτις ἀπὸ ἀνατολῆς μηνυθήσεται (a. 452) et levissimum unum 78 *Peterus et Paula inc*

positi son i. hic p. sunt. plurimos Orsi prudenter ac perite legit et explanavit, sunt tamen in quibus operam viri docti corrigi oporteat aut suppleri. velut ad 81 p. 45 mira scripsit de κλητρί vocabulo commenticio, de sepulcro empto ab Artemisia, manifesto enim sic legenda est tabellae inscriptio: Ἀρτεμισία Εὐτυχῆς ἡγόρ(α)σαι ἰδία μητρί τύμβον ἑβδομ(ή)κοντα δυῶν μυριάδων, ὁπόθεν αὐτὴ κεῖται ὦδαι, Artemisiae filius tumulum comparavit tot nummis, myrias autem quanti valuerit, quam rationem habeat ad miliarisia, definire equidem nequeo. Porphyrii memoriae 59 p. 34 subiectum est μν(η)σθῆ σου ὁ θεὸς καὶ ὁ Χριστὸς καὶ τὸ ἅγιος πνεῦμα· εὐμύρωδις ἀθάνατος, quae est ex paganis adsumpta formula εὐμοίρει, οὐδεὶς ἀθάνατος, Orsi μύρα et μυρώδη cogitavit. hexametri sunt quos discus marmoreus eleganter sculptus habet 13 p. 15, impuri quidem et quales ab istius fasciae homine expectes sed faciles ad redintegrandum: Χριστιανῆς σεμνῆς ἀγανόφρονος [ἦδ] ἐφιλάνδρων Ἀσσιανῆς τύμβον εἰσορᾶς, φίλε, κίμενον [ᾠδε, ἦ] τις σεμνοσύνησιν [ἐρίζε]το Πηνελοπίη, subsequitur ἐνθάδε κίτε [Χρισ]τιανῆ Ζήσασα καλῶς καὶ ἀμέμπτως ἔτη λβ' μῆνας [δ'. in carmine quas litteras Orsi designavit non possum non legere φιλάνδρων, lapsus igitur marmorarius aut alio carmine male usus est (cf. Kaibeli epigr. indicem), hic enim debuit scribere φιλάνδρου. mulierem nomine ut videtur Chresianen domo Assiam fuisse puto civem Cleanthis, si tamen interest aliquid inter Ἀσσ- et Ἀσιανῆς, utique ex Asia advenam. etiam alterum deprehendi carmen 89 p. 57, peius natura, auctor incitus disticha adfectavit, peius fractura sarcophagi: παρθένος εα δουλεύουσα θε(ε)ῶ | κατὰ τοῦνομα Πι κον [ἦ]τορι ἦν ἐξεῖπε ἄν (i. ἐξεῖπαι ἄν, vetat pictura substitui ἐξεῖπείν) οὐ ραδίω[ς] | δύναμαι, ἦν υἱλην (φίλην an ψιλήν?) σι ἦγαγ' εἰπῶν χάριν τῶνδε· θοῆνον ἐπέ]γραφα ἀνταποδο[ύς] χάριτας, θο]ῆνον δν οὐ[κ ἦ]λλ[πι]ξα, Κυρακόσιος σὸς ἀδελφός, | [ἀλλὰ] φίλων ὕμνων [πρῶτά σ' ἀποι]σομένη(ν). denique dubito an etiam philosophi Timothei titulus 45 p. 29 exierit in carmen, cuius tamen integra verba nulla supersunt nisi ὁμιλῶν et πρέπων. de tabella pessimis litteris incisa 19 p. 18 Orsi transcripsit tantum *Casta Mericta* . . . , inter *a* et *m* intercedit vel crucis signum vel conexarum *t* et *i* litterarum, fortasse dicitur *casta Time regione Emissena*, etsi fatendum est *riolare* potius quam istud in pictura cerni.

Eutychis quod supra posui pittacium admonet me ut commemorem tabellam Romae erutam e coemeterio Priscillae quam IBdeRossi in suo archaeologiae christianae indice 1892 p. 104, 13 edidit: Φιλητῆ θυγατρὶ | καὶ Διομήδι πατρὶ | Ἐρμῆς δίοις, ultimum hoc conlocatum est recta regione sub filiae patrisque vocabulis, disiunctum ab Hermaei nomine (mas scilicet iste *Hermias* in monumento adhaerente p. 104, 14). obstipuit Rossius quod in christiana inscriptione extaret δίοις *divis*, relatum illud ad duo defunctos. neque ego extare credo aut extitisse, ἰ]δίοις i. suis restituo. in eodem volumine edita p. 75, 321 notavi adpicta bisomo sepulcro nomina Κλυβισία, Ἰανός: hoc Iani esse apparet, illud Rossius derivatum opinatur a gente Cluvia. ego non dubito

quin mulieri quoque Iani contubernali fortasse conservae nomen inditum sit a deo Patulcio Clusivio, Κλυβισία pro Clusibia. inclinabat enim volgus latinum cum *s* siqua muta in syllaba eadem aut proxima committebatur ad transmütandas litteras, ut praeter eam usitata illa *Spyche* (huiusmodi in eodem illo Rossii volumine p. 63, 289 *Analemspi*) et adfinia velut quod grammatici tradunt *displicina*, huic de qua agitur permutationi simillima est vetus ac frequens *parasiti* et *paradisi* confusio de qua novissime GuilSchmitz dixit in miscellaneis Tiron. p. 26, 4. creberrime id traiectionis genus accidisse liquidis *l* et *r* satis constat, tamen novitatis causa testis fiat titulus Orsianus l. s. 72 p. 46 Φλεβρίω μηνί i. Februario mense, emendationis causa devotio Carthaginiensis inserta actis acad. inscr. Gall. 1892 p. 231 *adiuro te, demon quicumque es, et demando tibi ex anc ora ex ac die ex oc momento, ut equos prasini et albi crucies ocidas et agitatore Claram et Felicem et Primulum et Romanum ocidas collida(s) neque spiritum illis lerinquas* i. relinquis, *adiuro te per eum qui te resolvit temporibus deum pelagicum aerium: iao eqs. sed revertor ad librum Rossii. negotium facessit nobis luditque simplicitatis specie tabula proposita p. 60, 283 pulcerrimis, ut Rossius narrat, litteris insculpta: Corvino Secundioni | Volgit marito | merenti. mulieris nomen proprium quaerimus, Volgitiam improbat Volgitanam aut Volgitanam adprobat Rossius etsi Volgitium nusquam apparuerit. estne *Volgitta*? nomen fictum ea lege ad quam directa esse Pollittae Gallittaeque ac similia nomina Mommsenus declaravit, nomen tam dignum christiana femina tamque gratum quam Proiecta et Stercoria. hoc sane incertum, at probabile velim videri quod in fine profero indidem sumptum, ex p. 42. cippus est aut columella in ultima Britannia reperta, inscriptionem eius Rossius ad hunc modum exceptit: (*Christe,*) *te [do]minu(m) laudamu(s). Latinus annorum XXXV et filia sua anni VI [tr]iclinum feceru(n)t in opus Barrovadi.* non moror *triclinum, signinum* sive quid aliud lapis ostendet denuo inspicientibus, postrema verba quae Rossius se parum intellegere non dissimulat, ego sic accipio *in opus, barro, vade* et christianam agnosco pagani moris quo resistere praeteriens tumulum et morari iubetur, quasi parodiam. ut introitus tituli cantum ecclesiae, ita exitus sanctas loquelas refert imitando. *opus* enim id est quod dominus dictat et pietas monstrat, *barro* homo stupidus segnisve is qui *baro* saepius scribitur et rectius, non quia in codicibus ita fertur plerisque (Olahn ad Persium 5, 138), sed quia in titulo optimae aetatis nuper protracto ex Rheno Bononiensi (Notizie degli scavi 1896 p. 160 n. 44) *L. Valerio Pipercli lib. Báróni.* plaudo Piperculo quod sui nominis ominosi (*piper, non homo*) per libertum quaesivit antipathes.*

F. B.

Verantwortlicher Redacteur: Hermann Rau in Bonn.

(20. Oktober 1896.)